

**Dissertatio medica inauguralis de febre erysipelatos, cum nonnullis
indagationibus de ortu inflammationis localis.**

Contributors

Fowle, William.
Fowle, William (Inscriber)
Gisborne, Thomas, 1758-1846 (Associated name)
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Leiden : A. en J. Honkoop (Firm), 1791.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qqbpbj5j3>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



(6) 02/69-a-3

61






18


f 10

Dr Griborne
President of the
Royal College of Physicians
London

with the respectful Compts
of the
Author -


J³ 65





Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b28520348>



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

312/58

D E

FEBRE ERYSIPELATOSA,

CUM NONNULLIS INDAGATIONIBUS

DE ORTU INFLAMMA-
TIONIS LOCALIS.

Q U A M

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,

DIONYSII GODEFRIDI VAN DER KESSEL,

JURIS UTRIVSQUE DOCTORIS ET JURIS CIVILIS
PROFESSORIS ORDINARIJ,

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini Submittit

G U L I E L M U S F O W L E,

A N G L U S.

Soc. Reg. Phys. Edin. Sod.

Ad Diem XXVI. *Octobris* MDCCXCI. *H. L. Q. S.*

Vix ea nostra voco.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP,
M D C C X C I.

ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS LIBRARY	
CLASS	61
ACCN.	14073
SOURCE	
DATE	

EXIMIO VIRO
CAROLO DUNDAS;

DE
AULA BARTONIENSE

IN
COMITATU
BERK ~~H~~ E R I A E
ARMIGERO, ETC.

ANIMI,
MULTORUM OFFICIORUM

IN SE
CONFERTORUM
HAUD IMMEMORIS,

TESTIMONIO
HOC TENTAMEN

D. D. D.
GULIELMUS FOWLE.

Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; multum adhuc restat operae, multumque restabit, neque ulli nato post mille saecula praecidetur occasio aliquid adjiciendi.

S E N E C A.


DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

FEBRE ERYSIPELATOSA,

CUM NONNULLIS INDAGA-
TIONIBUS

DE ORTU INFLAMMA-
TIONIS LOCALIS.



I.



In hac Academia honores sum-
mos ambiturus, & juxta ejus
leges de aliqua re medica tra-
ctaturus, cogitavi, non incon-
gruum fore de Febre Erysipelatosa, quae ur-

A

bium

2 DISSERTATIO MEDICA

bium incolas multum vexat, scribere; five frequentiam occurfus, five impetûs periculum, five descriptiones illius imperfectas, notamus; nonnulla de ejus causa proxima & ratione symptomatum, spe inflammationis illius ortum magis apertum reddendi, subjeci.

DEFINITIO.

I I.

Synochus, cum inflammatione locali, ambitu inequali, serpente, ^{tumore} vix evidente, et dolore urente, in cuticulæ squamulas vel vesiculas abeunte, omnem Febris Erysipelatosæ ideam absolvere videtur. —

HISTORIA MORBI.

I I I.

Hic morbus horroribus inpetum facit, postea

calor, sitis, inquietudo, ingensque lassitudo aegrotum invadunt; vires miro in modo convelluntur, spiritus est gravis, suspirium frequens, urina pallida, limpida, aliquando autem in initio rubra est; cephalgia plerumque magna, et delirium vel coma hoc indicium saepe sequitur. Die tertio quartove aliquae corporis pars fit tensa et leviter tumida, rubescit, splendet, doletque; rubor digiti pressioni cedit, cito autem redit. Aliquando in parte inflammata apparent vesiculae, sed hae raro occurrunt, nisi postquam per dies aliquos manserit Inflammatio; faniem tenuem comprehendunt, et si effusio sit magna, inflammatio levatur et febris decedit. —

I V.

Saepe autem fanies non satis copiose effunditur, ut inde Febris diminuatur; coma aut delirium manet, arteriarum pulsus fiunt celerio-

4 DISSERTATIO MEDICA

res, debiliores, inaequales, modo tremuli, modo admodum tardi et intermittentes, et omnia typhi indicia morbus ostendit.

V.

Cito omnia symptomata, quae summam debilitatem designant, magnopere augentur. Extrema perpetuo frigida manent; in parte inflammata color roseus in lividum mutatur; omnes sphincteres relaxantur; stercus & urina absque voluntate excernuntur; ictus arteriarum adeo celeres et debiles sunt, ut numerari nequeant; coma est profunda, et cito aegrotus fato concedit.

V I.

Inflammatio Erysipelatosa truncum raro aut nunquam, brachia aliquando, crura saepe, saepissime caput corripit.

VII.

V I I.

Quum capitis externa superficies afficitur saepe partium ejus internarum affectarum indicia adfunt; dolor est major; delirium saepe, coma aliquando aegros vexat, pulsus citius fiunt debiles, & spiritus est gravior, ventriculus ejicit cibum & medicamenta, vinum plerumque retinet. Nunc vultûs unum latus Inflammatio corripit, nunc totum occupat, & ad collum scapulasque aliquando descendit; palpebrae ita tument ut aperiri nequeant; dum serpit pars prius affecta levata est, & cuticula in squamulis furfuraceis decedit. Aliquando a vultu ad fauces migrat cynanche formans, & revera nullam canalis alimentarii partem ab impetu ejus liberam esse, multa indicia in hoc morbo saepe ostendunt.

VIII.

Quum Inflammatio in extremitate inferiori sedet, pes ardet, tumet, rubescit, splendetque; si impetus sit creber, crus etiam cum pede malum participat, et tactu cruciatur; vesiculae magis eminent et pauciores sunt; pulsus sunt fortiores, dolor capitis minor, delirium & coma fere absunt, omniaque debilitatis indicia sunt mitiora.

IX.

Inflammatio saepe ab una parte subito decedit & alteram invadit, saepius autem ab extremis faciem aut partes interiores, quam ab iis extrema.

X.

Aliquando inflammatio erysipelatosa se manifestat sine ullis pyrexiae symptomatibus; si autem
tem

tem late serpit, corpus totum cito afficitur
omniaque febris indicia adsunt, & eodem mo-
do, ac si a febre incipiat, morbus terminatur.

X I.

Qui hoc morbo laboraverunt, praesertim in-
vasionibus ejus obnoxii sunt & fere mitissimae
causae excitantes morbum gravem inducunt.

X I I.

Mulieres adolescentesque praecipue corripit,
& saepius autumnus accidit. “ Nam fere me-
,, ridianis temporibus calor: nocturnis atque ma-
,, tutinis, simulque etiam vespertinis, frigus est.
,, Corpus ergo & aestate, & subinde meridianis
,, caloribus relexatum subito frigore excipitur.”

CELSUS.

DIA-

D I A G N O S I S.

X I I I.

Qui indicia hujus morbi sedulo autoptice observavit, semper illum ab aliis facile distinguere poterit; imperitus autem, qui a solis libris scientiam totam obtinuit, difficilius discrimina- bit. Hic morbus impetum suum facit in omnibus anni tempestatibus; in autumno autem frequen- tius; ut antea vidimus: (XII.) Eodem tem- pore scarlatina praecipue homines invadit: Quum aegri scarlatinâ vexantur, symptomata pyrexiae nausêâ comitata prius occurrunt; die tertio quartove eruptio apparet; in febre erysi- pelatosa idem fere accidit; in ambabus saepe spiritus est gravis, eruptio non semper sympto- mata levat, & ambae delirio vel comate fre- quenter comitantur. Sed multa adsunt signa quae perito morborum discrimina praebent.

X I V.

In Febre Erysipelatosa pulsus in principio diatheseos vehementiam majorem ostendunt; rubor cutis non adeo universalis est, & rosae colori est similior; tumor est major, tactu cruciatur, & pressu colorem amittit. In hoc morbo inflammatio ab una ad alteram corporis partem decedit, & saniei effusione frequenter finitur.

X V.

In Scarlatinae initio pulsus debilitatem majorem indicant; eruptio est universa, et omne corpus tumet, pressione non cruciatur et color manet, neque huic est dolor urens, cuticulaeque desquamatio morbum terminat.

X V I.

A phlegmone inflammatio distinguitur, ru-
B bore

bore pressione evanescente, tumore vix evidenti, ambitu serpente, doloreque urente. Phlegmone etiam febre raro comitatur, Erysipelas autem fere semper.

CAUSAE REMOTAE.

XVII.

CAUSA PRAEDISPONENS.

Haec videtur esse debilitas subito inducta corpori, aut alicui ejus parti, potestatibus directo sedativis, vel excessum excitationis sequens. Sic aër urbium aedificiorum multitudine coarctatarum, nosocomiorum & carcerum; usus immodicus seu Veneris seu Bacchi, labor multus, & omnia debilitatem inducentia, corpus ad impetum hujus morbi parere videntur.

X V I I I.

C A U S A E E X C I T A N T E S.

Hae sunt multae et in tria capita dividantur. In primo recensendum videtur contagium ab aliis eodem morbo laborantibus oriundum. Omnia alterum comprehendit, quae ad actionem vehementem excitare possunt, hoc modo Febrem primariam inducentia, sic agunt stimulantia varia, liquores spirituosus, nonnulla animi pathemata &c. Tertium ea, quae parti admota, potestatem possident eam ad vehementiorem actionem excitare, Febrem secundariam facientia; sub hoc capite posita sunt quaedam venena, cantharides &c.

C A U S A E P R O X I M A.

X I X.

Quamvis homines ingeniosissimi doctissimi-

que, multa alacritate et assiduitate in causas proximas morborum investigandas, operam dederunt, tamen nunc hanc scientiae medicinalis partem haud parum obscuram esse, videmus. Natura ejus adeo est occulta, conditiones rationesque ob quas existunt adeo variae, adeo sunt implicatae, ut etiam post incrementum magnum rerum naturalium scientiae, haec adhuc in tenebris maneat. — Forſan me hanc explicare nitentem temerarium multi putabunt; ſpes autem eſt mihi, ut alii veró animo magis aequo ducti, me, ſi hinc inde a communi tramite diſcederim, pro meo ſtudio in veritatis indagatiōe adhibito, excuſatum habuerint. Nullo modo tamen ſpeculationum tenax, diffidentia maxima argumenta ſequentia iis objicio.

X X.

Mihi apparet Febrim in hoc morbo eſſe
pri-

primariam vel secundariam, aliquando etenim antecedit, aliquando inflammationi locali succedit. In hujus divisionis auxilium, tentabo

I^{mo} Sententiam meam de modo naturae actionis, phenomena localia post Febris primariae occursum producendo, subjicere:

II^{ndo} Ostendere quomodo affectum locale excitationem universam systematis sanguiferi inducere potest:

III^{tio} Phenomena Inflammationis ab una parte ad aliam migrantis explicare, et

IV^{to} Causae proximae definitionem dare.

X X I.

At antequam in hoc consilium in eo, veniam oportet me petere, meam argumentationem aliquo modo anticipare, propositionem objiciendo, quam veram esse a phenomēnis in ortu & progressu febris erysipelatosae eminentibus ostendere spero.

X X I I.

Quum in accessu morbi calor, sitis, cordis arteriarumque impetus auctus, cum virium dejectione rigores sequuntur & his succedit inflammatio localis, (III.) illa inflammatio existimetur oriri a debilitate locali, quae fundamentum jecit incrementi actionis localis, pro ratione in excessu auctae. — Si hoc confirmare possim, in eo causam proximam aedificare conabor. Hoc praemisso, nunc quomodo inflammatio inducitur, quum febris est primaria, ostendere incipiam.

X X I I I.

In hac morbi specie; (XX, I.) excitatio corporis universa indiciis pyrexiae communibus ostenditur; sed cito sequuntur tumor, rubor, calor auctus, & dolor partis cujusdam, ergo necesse est, diversitatem aliquam inter alias corporis

ris

ris partes & eam, quae nunc inflammatur, existisse, & in hac diversitudine rependere impotentiam hujus partis primam impressionem sustinendi.

X X I V.

Phenomena pyrexiam sequentia, mutationem status, necessarie ergo actionis partis ejusdam, indicant: haec indicia sunt rubor, tumor, calor auctus & dolor; ut cognitionem de statu partis priori obtineamus, causas horum symptomatum investigare oportet.

X X V.

Rubor subitus & praeternaturalis, influxum sanguinis auctum in partem manifeste demonstrat, & duratio suffusionis causae durationem indicat; infero igitur, ut, si brevis, si stabilis sit effectus, vasa, eo tempore, plethoram patientian-

tiantur, & eorum diametra elongentur: & praeterea, influxu majore non rubor modo, sed tumor etiam oritur, quia diametris suis dilatatis spatium quam olim majus possident.

X X V I.

Iterum credo legem esse universaliter concessam, calorem partis variare pro circuitu sanguinis vel aucto vel imminuto. Mea est sententia, hunc humorem naturalem esse stimulum vasa comprehendentia contrahere urgentem, ergo si ulla quantitas in ea, celeritate praeternaturali, pellatur, excitabit ea celerius agere, & haec acceleratio systoles vasorum, calorem majorem gignet.

X X V I I.

Demonstrato nunc (XXV.) quod systematis

arterialis nimia impletio ruborem & tumorem edere pollet; & concessio (XXVI) quod calor in celeritatem vasorum contractionis rependit, restat ostendere, quomodo dolor semper haec indicia comitatur, & hic occurrit difficultas quaedam, quia dolor revera est idealis. In nostro casu est motus sensifer mutationis malae alicujus partis functionis, nervorum intercessu, menti admotus; ergo quicquid aut impedit aut laedit functiones partis plerumque doloris sensationem excitabit. Quod supra dicitur, ut spero, talem causam existere ostendit.

X X V I I I.

Si haec argumenta vera sint, venia mihi detur dicere, ruborem, tumorem, dolorem, calorem auctum, inflammationem indicantes, oriri ab actione vasorum aucta, congestione locali comitata. Et nunc modum ortus congestionis primi monstrare me oportet.

X X I X.

Multum adducor ut sustineam, actionem localem non modo augeri in celeritate, sed comparate vehementiorem esse in hac quam in aliis corporis partibus; quia actione partis singulae in stadio morbi primo pro ratione ex aequo adaucta, indicia generalem & pro ratione aequalem excitationem monstrant; signa congestionis non eminent; igitur sanguinis circuitus quamvis vehementior est, tamen aequalis omni in parte manet. Itaque quum tumor ruborque oriuntur, circuitus equilibrium revera perditur.

X X X.

His ita praemissis, (XXIX.) ut excitatio in stadio morbi primo est universalis, & systematicae arterialis actio naturalis, eodem tempore, gradu pro ratione aequo augetur, certum est,

si

si pars ulla magis quam aliae debilitatur, necesse est ut prius cedat & in ea parte nova phenomēna oriantur; impotentia localis humores propellendi celeritate aequale velocitati receptionis eorum a prima excitatione universa oriri videtur; hac in parte ergo humores accumulabuntur, quia partes circumjacentes, vim naturalem possidentes, infundent majorem copiam in hanc, quae jamjam nimis est plena, & haec plenitudo vasa excitabit ad celeriores si non vehementiores contractionem, ut supra narratum est (XXVI). Ab hoc manifestum est, ut, quamvis incrementum in celeritate in quadam parte revera accidat, tamen aliquae congestio in ea locum habere possit, et haec distentio ab impotentia locali systematis sanguiferi oritur, huic impotentiae nomen debilitatis dedi.

X X X I.

Ut actionem partis debilitatae, si satis irrita-

bilis maneat, excessivam esse oporteat dum excitatio eodem tempore est generalis, puto esse maxime probabile his argumentationibus, (viz). In ratione debilitatis partis, sanguis accumulabitur et in ratione sanguinis accumulationis pars incitabitur, quantitate sanguinis ergo dato tempore aucta, stimulus erit in excessu, & si pars irritabilitatem pristinam possideat, actio sua erit immodica. Ab hoc adducor ut credam, in documento inflammationis Erysipelatosae febre comitatae, actionem partis inflammatae auctam esse frequentia, (sed caeteris paribus) vehementiorem esse quam alius corporis partis.

X X X I I.

Ut de Theoria hujus morbi, quum pyrexia affectum localem antecedit, plene disserui, scribenda sunt mihi pauca de eo casu (XX, II) quum febris inflammationi locali succedit.

XXXIII.

X X X I I I.

De hoc tantummodo observabo, multas causas, puto contagionem, vel acria parti admota, posse inducere statum partis talem, qui localem accumulationem adjuvabit. An hoc tribuendum sit potestatibus directe sedativis debilitatem localem inducentibus, an excitationi immodicae in debilitate terminanti, effectus est idem. Satis est me demonstrare, ut, dum debilitas localis revera adest, necesse sit illam congestionem favere, & hoc argumentis prioribus (a XXII. ad XXX.) ostensum esse videtur. Nunc restat, ut productionem excitationis universae explicare tentem.

X X X I V.

Hoc accidere opinor, quum inflammatio eo usque protracta est, ut dolor, vel nervosi sy-

stematis affectus, validus fit & molestus. Neminem negaturum, existimo, influentiam reciprocam systematum nervosorum & sanguiferorum, etenim observatio quotidiana talem reciprocrationem ostendit. Hoc itaque statuo, ut systema nervosum quandocunque illud in certo gradu irritatur certe actionem vasorum sanguiferorum acceleraverit, et quantitas incrementi fuerit in ratione directa vehementiae irritationis et denique in ratione gradus debilitatis localis. Excitatio ergo orta fuit a statu incitato nervorum & quum illa universa est morbus progreditur deceditque ac in priore specie (XX, I.).

X X X V.

Parum difficile mihi videtur, inflammationis translationem secundum hanc theoriam explicare. Quandocunque aut effusione pauca aut applicatione frigoris aliisve auxiliis, pars

in-

inflammata vim suam recuperat et functiones suas quadam facilitate iterum perficit, excitatione universa manente, alia pars, quae antea vix portionem actionis suam sustinere potuit et nunc majorem sanguinis copiam accipit, nequit facilitate eam propellere, eoque modo debilitatur et congestio nimirum occurrit. Tunc morbus, quasi nulla translatio accidisset, progreditur. Sic singula migratio sedis inflammationis argumentationibus supra usitatis explicatur.

X X X V I.

Sed antequam causae proximae definitionem objicio, argumentorum brevem conspectum dabo, ut hac synopsi de veritate vel fallacia definitionis propositae felicius judicatur. Haec sunt argumenta.

Partis rubor tumorque plenitudinem vascularem auctam indicant (XXV.)

ple-

Plenitudo vascularis aucta actionem vasorum auget (XXVI.)

Incrementum actionis vasorum caloris incrementum incitat (XXVI.)

Distentio vasorum & calor auctus sensum doloris inducunt (XXVII.)

X X X V I I.

Igitur rubor, tumor, calor auctus et dolor actionem vasorum sanguiferorum auctam indicant, ex hoc sequitur, actionem partis auctam excitatione universa comitatam esse causam proximam febris erysipelatosae, hujus causae definitionem sequentem objicio.

C A U S A P R O X I M A.

X X X V I I I.

Excitatio vasorum sanguiferorum universa actione partis alicujus praeter rationem aucta.

PRO

P R O G N O S I S.

X X X I X.

Elegantissimi Celsi optima est sententia.
„ Nulla acuta Febris leviter terrere nos de-
bet. ” Quam maxime igitur est Febris ery-
sipelatosâ terrenda, quae inflammationis transitu,
fere a morbo mite, terrifica et lethalis subito
evenit. Sed nos oportet notare indicia, quae
magis vel minus periculi monstrant. Si Erup-
tio sit latens et vultum totum obsideat, si deli-
rium adsit, magni periculi est index. Si faucibus
ferpeat vel partibus externis decedens, inter-
nam ullam arripiat periculosissimum est; si Pulsus
extremarum arteriarum crebri & debiles sint,
dum carotides vehementer agitantur, & aegro-
tus assidue dormiat eodemque tempore ploret,
si praecordia et caput urant dum, extrema friges-
cunt, si vomitus singultu secutus aegrotum
D vexat,

vexat, vix bonae valetudinis ulla est spes. Si autem Febris prima non sit vehemens, si eruptio crura occupat & minus lateat, si dolor capitis sit parvus, & pulsus arteriarum paucis diebus non debiles fiant, si nullus sit vomitus, si facilis spiritus, si corpus aequaliter molle & calidum sit, & alvus neque constringatur, neque nimium solvatur, si aegrotus nec constanter vigilet, nec assidue dormiat, spes est magna valetudinis secundae appropinquantis.

MORBI CURATIO.

X L.

Quum morbus primo occurrit pyrexia, & sanguis nimis capiti tendit cum vultus suffusione & aliis excitationis universae vehementis indiciis, adhibenda sunt medicamenta antimonialia, quia excitatio tam magna cito vires convellit, & inducit indicia debilitatis pessima, quae in hoc
mor-

morbo praecipue timenda sunt, nam in eo casu congestio fere formatur in organis internis, quam potestates corporis prae nimia debilitate vincere nequeunt. Sed ubi est vomitus non oportet nos antimonialibus uti, medicamentorum vero aperientium mitiorum parvas quantitates aliquando exhibere licet; saepe autem clysmata lenia ob vomitum tutiora sunt. Post primarum viarum evacuationes nihil est potentius, quam serpentaria cum contrayerva juncta in forma sequenti.

℞ Radicis Contrayervae.

— — — Serpentariae virginianae ana
drachmas duas, macera in aquae ferventis
unciis duodecim per bihorium, dein
cola et adde tincturae cardamomi compo-
sita (Pharmacopoeiae Londinensis) un-
cias duas.

Hujus misturae sumat aeger uncias duas sexta
quaque hora.

X L I.

Ufu hujus medicamenti, saepe delirium vel coma levatur, pulsus fere pleniores molliores & tardiores fiunt, inflammatio si apparuerit serpere definit, & aegrotus pauciora debilitatis sequentis indicia sentit. Si pulsus fiant debiliores celerioresque & coma vel maneat vel nunc occurrat, et pars inflammata livefcatur, tunc vice Tincturae Cardamomi adde infuso fufuscripto Tincturae corticis peruviani compositae (Pharmacopoeiae ejusdem) uncias duas et exhibeantur duae unciae quartâ quâque horâ. Plerumque, ubi maximae debilitatis signa manifestantur, necesse est adhibere decoctum corticis peruviani forte, aliquando autem corticem stomachus ejicit, tunc in forma clysmatum eum exhibere nos oportet.

X L I I.

Si inflammatio externas desinit partes, et aliquam internam invadit, emplastra vesicatoria Brachiis vel Cruribus admota saepe inflammationem ad ea alliciunt. Ubi est pervigilium sine delirio saepe opium quam maxime prodest, aliquando etiam in delirio non est sine usu et aeger post somnum nil delirii sentit.

X L I I I.

Sanguinis missionem saepissime pessima indicia sequuntur, excitationis enim tam cito vestigia premit debilitas immodica, ut typhus ipse sanguinis detractionem vix pejus patitur.

X L I V.

Cibi multum in morbi principio non est

aegroto necessarium, quum autem debilitatis stadium occurrit, generosissimum foret pabulum, jus e carnibus elixis gelatinosum vino mixtum et juscula fortiora frequenter data, illi usui bene serviunt. Parvae quantitates tempore uno exhibeantur, quia ventriculus adeo debilitatus nullum cibi onus pati potest, et vomitum nova excitatio fere sequitur.

X L V.

Vinum rubens (Anglice Port) frequenter adhibeatur, medicamentum enim est optimum, revera ventriculus saepe nihil aliud retinebit.

X L V I.

Applicationes locales nunquam vidi bonis effectibus comitatas esse, stimulant partem nimium incitant, et sedativae saepe inflammationem ad partes internas repellunt.

XLVII.

Cubiculum bene aëratum sit, eodemque tempore ab impetu aëris frigidi aegrotus defendatur.

XLVIII.

Quum morbus finitur causis excitantibus aegrotus caveat, saepissime enim misero occurrit.

XLIX.

Antequam finem huic dissertationi impono, me oportet Cl. Gulielmo Saunders, M. D. Colleg. Regal. Med. Lond. Socio; Societ. R. P. E. S. H. de Theoria et Praxi Medicinae Lectori &c. ut etiam Celleb. Henrico Cline de Rebus Anatomicis et Chirurgicis Lectori, Nos. Sanct. Thomae Chirurgo. &c. nec non egregio Gulielmo Babington Chemiae Materiaeque Me-

Medicae Lectori, &c. non modo ob instructionem eximiarum praelectionum, sed etiam ob maximam ad me urbanitatem, gratias reddere.

L.

Etiam de amicitia eximii Thomae Tomson M. D. S. R. M. E. S. de Rebus Botanicis Lectoris etc. ingenii acumine multum, animique suavitate plus enitentis, gloriari hanc occasionem avide capio.

T A N T U M.

THE-

T H E S E S.

I.

In Typho, ubi nulla est remissio, corticem peruvianum exhibere nos oportet.

I I.


Opium delirium typhi, quando pervigilio comitatur, saepe levat.


I I I.


In Phthisi pulmonali sanguinem mittere aliquando est bonum, saepe malum.


I V.


Vomitus frequenter Phthisis pulmonalis symptomata levat, rarissime tollit.














$\frac{20}{7}$ D $\frac{1}{2}$



